

05

A

1343





DISCUSSIONUM PHYSICARUM
SPECIALIUM

Exercitatio III.

De

ORBIBUS COELESTIBUS

Quam

CHRISTO JUVANTE

Sub Præsidio

M. HIERONIMI VV EIXELBERGERI

VVelsensis Auftriaci, Amplissimæ Facultat.

Philosophicæ in Electorali V Vitteb.

Academiâ Adjuncti,

Discutiendam proponit

CHRISTOPHORUS NEANDER

NEAPOL. SILESIUS.

Ad diem 22. Januar.

VVITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XVII.



CHINESE ERH A 1343



Σὺν τῷ Ἰησῷ.

CONTINUATIO.



Naturam Cœli præcedenti Exercitatione investigavimus : pedem itaque jam ad ejus partes promovemus. Constituuntur autem duplices, perspicua quædam ac translucida, quæ Orbes sive Sphæræ appellantur cœlestes : quædam opacæ seu visui imperviæ, scilicet stelle. Priores præsentis erunt discussionis, in quarum veritatem, ut facilius deducamur, Deum Opt. Max. supplices veneramur, ut gratiam suam largiri nobis dignetur ob Nativitatem CHRISTI JESU IMMANUELIS nostri sacrosanctissimam. AMEN.

QUÆSTIO I.

An cœlum sit unum quoddam corpus continuum an vero in plures orbes, contiguas distinctum?

Ut quæstionis hujus decisionem paucis absolvamus, relictis aliorum utpote vero minus consentaneis opinionibus, statuimus: Cœlum unum quoddam, non verò in plures Orbes distinctum esse corpus. Quâ in sententiâ contrarias nobis esse non de fece Philosophorum phalanges, videmus, quibus sese jungunt Astronomorum cohortes. Rationum arietes, ut potiores sequentes nobis opponunt. Summa in cœlo regularitas, quæ, si unum foret, exularet. Vnicus in cœlo datur motus; simplicis enim corporis, simplex est motus. Quin & Φαυόμυρα Astronomorum demonstrari, Astronomiæq; disci-



plina in Scholis proponi imposterum non posset. Et hæ, quibus pluralitatem cœlorum sese defendere posse arbitrantur, sunt rationes. Licet verò & Ipse Aristoteles, alioquin summæ nobis Authoritatis, in hanc olim abierit sententiam, ab ipso tamen, quo hac in parte desciscamus, movet veritatis studium, jubent rationes, quæ sequuntur. Hoc evincit 1. Ipsa cœli simplicitas, quæ Orbium positus non admittit. 2. Quod Orbium positus in principia Physicæ impingat, ut pote, quæ nullam corporum penetrationem admittunt, quæ necessariò adauctum Sphærarum numerum insequitur. Planetas enim nunc alius evehi, nunc deprimi, nunc Retrogrados esse Matheseos observant Doctores. Accedit, quod ille ipse positus manifestissimis refragetur Scripturæ testimonis. Deus enim stellas conditurus dicebat: *Fiant Lunaria in Expanso*, per quod Expansum præter Unum numero Cœlum & corpus continuum aliud nihil intelligendum esse putamus. Contrariorum argumentorum refutationes videri possunt tum apud *Dd. Connimbric.* tum apud *Clar. Philosoph. I. Martini in disput. Physica Special. 5.*

II. Quot sunt Sphære in Mundo?

Varia de hac quæstione Autorum circumferuntur sententiæ. Reperti enim sunt quidam ex Philosophis, qui *Vnam* saltem numero stellarum tum Fixarum, tum Erraticarum finxerunt Sphæram, idque hanc ob causam quod omnes stellæ in uno videantur Cœli Orbe. Hujus sententiæ propugnatorem fuisse *Chrisostom.* *Homilia 4. super Genes.* docet. Addit ipse ibidem, quod *Moses* in Creationis historia Firmamenti tantum faciat mentionem. Hanc opinionem varij, qui in Cœlo deprehenduntur motus, refutant, eamque erroneam esse ostendunt. *Alij tres Cœli Orbes venditarunt*; Solis alterum, alterum Lunæ, tertium stellarum fixarum. *Ptolomæus*, novem numerat, quibus *Alphonsini* decimum addiderunt. *Scholastici Dd.* nec non aliqui ex modernis tam *Philosophis*, quam *Theologis*, undecimum nectunt. Nos sententiæ Aristotelicæ calculum adjicientes cum eodem octo Sphæras agnoscimus. Reliquas omnes negligimus. *Hæ octo enim usui Physico tantum serviunt; plures item nec ratio*

ratio ostendit: nec sensus percipiunt. Interim Mathematicos suo genio vivere permittimus; illisque, quos ad suas Apparentias demonstrandas excogitant Orbes, eos defendendos relinquimus. Orbes autem intelligimus non reales, vel certis Sphæris concameratos, sed eos duntaxat, ut melioris motuum observationis causâ esse confictas credimus. Vide *Arns. Epit. doctr. Phys. pag. 232.*

III. *Quis sit ordo Sphærarum Cælestium?*

Quot de numero Sphærarum, totidem de situ & ordine opiniones ferè foveant Authores. *Aristot. 2. de Cæl. 12. & 1. Meteor. 4.* cum Ægyptijs verustioribus octo numerat, sibi invicem ab inferioribus ad superiores hoc ordine succedentes. Sphæram ultimam, terræque viciniorem tribuit Lunæ, cui succedit Sol; hunc Venus sequitur: Venerem Mars: Martem Jupiter: Postremum & extremum locum inter Planetas assignavit Saturno. Quas omnes ambit firmamentum quod in loco esse negat *Aristot.* eo, quod ab alio corpore non ambiatur. Cui sententiæ etiam subscribit *Plato in Tim. & Epinam.* quanquam alibi Solem in medio Universi ut animam collocat. *Cicero* eundem Sphærae positum in Somno Scipionis recenset, addito prioribus terræ globo, quæ neque movetur, & infima est, in quam omnia suo motu feruntur pondera. *Ptolomæus*, Sphæram nonam *Ciceronis* rejicit, & prioribus, quæ moventur, aliam addit, quam *ἀναστροφὴ* vocat, eamque supra Firmamentum, octavam Sphæram *Aristotelis*, collocat, hac motus observatione, quod stellas fixas proprio motu ab Occasu in Ortum, (de quo motu quæst. 6.) moveri deprehenderet. Eundem cum *Ptolomæo* motum agnoscit *Rabi Isaac*, *Alpetrag* *Azarchel*, *Abenazra*, referentibus *Dd. Connimbr. l. 2. de cæl. cap. 5. quæst. 1. art. 1. in marg.* *Alphonsini* jussu & sumptibus. *Alphonsi Hispan. Reg.* novas motuum tabulas confecturi *Ptolemaicis* partim correctis partim antiquaris peculiarem motum inter Mobile Primum & Sphæram Fixarum observarunt, qui Fixarum Orbem præter motum proprium libraret paulisper versus

A 3

Boream

Boream ex Austro, quem *Trepidationis*, vulgus *Nonum Alphonfinorum*, vocarunt. Unde Orbis decimus. His ipsis *Dd. Scholastici*, eosq; ex *Philosophis & Theologis* secuti plures *Cælum Empyreum* ab igne & mirâ luciditate, quâ præditum narratur, superstruxere, de quo videatur *Alslach. 3. de cæl. 4.*

Nicolaus Copernicus Anno M. D. XV. Philolaum Pythagoricum & Aristarchum Samnium imitatus Solem in medio Universi ponit, eundemque centrum reliquorum, præter Lunam, Planetarum Mercurij scilicet & Veneris. Quibus inserit *Orbem Magnum* deferentem Elementa & Sphæram Lunarem instar Epicycli tralati-
tiam, in cuius medio terra cum Sphæra Lunæ circumgyretur. Quem *Orbem Magnum* ambit Martis, Jovis & Saturni Sphæra. Has *interstitium stellis vacuum immense magnitudinis*. Postremum locum occupat *Cælum stelliferum. Cop. 1. lib. Revol. c. 10.*

Tycho demum *Braheus Nobilis Danus* tale nobis Orbium Systema proponit, Terram in medio Universi undiq; immobilem statuit, quem vestit Sphæra Lunæ, hanc regia Solis. Solaris corporis centrum statuit centrum reliquorum Planetarum, sic ut Sol circa terram motus secum trahat ex ordine sese excipientes Sphæras Mercurij, Veneris, Martis, Jovis & Saturni. Quas omnes ambit Sphæra stellifera, cujus centrum terra statuitur. Et hæc sunt Systemata orbium primaria. *Motus Planetarum ignotos* de quibus *Favorinus apud Gell. l. 14. cap. 1.* lubenter & scienter præterimus, ut & *motum Alpetragij*, qui nos fugere dicitur. Quid nobis videatur, & quid Sphærarum ordo Physicæ studiosis amplectendus paucis expeditum dabimus. *Brahei compagem* tum ob alias rationes, tum ob imperfectionem ejus recipere non valeamus. *Copernici*, licet censuram Physicam facile sustineat, & quæ contra idem systema adferri solent, dilui nullo negotio possint, ob id suspectum redditur, quod terram Elementum gravissimum in Orbe peculiari, quem *Magnum* vocari dictum est, circa Sphæram Veneris circumduci astruit. *Contraria est hæc opinio non tantum sensui & rationibus, sed & Ipfis Sacris Literis, quæ apertissimis, JEHOVAM super bases suas fundasse terram, ne in seculum dimoveretur Psal. 104. v. 5.* docent verbis. Pro *Cæli Empyreï assertiōne*, quas adferunt *Scholastici, Clavius in suâ Sphæra, Timplerus & alij, de fursure*

furtive & quisquiliis Calvinianis homines, rationes, nugas esse existimamus, cum imprimis *Ipsi Connimb.* qui omninò dari illud statuunt, fateantur, hoc Cœlum nec ratione aliqua Physica astrui posse nec sensu percipi. 2. *de cœl. 5. art. 2.* multò minùs sacris idem stabiliri posse literis. *Alphonsinorum Orbem*, quem *Trepidationis* nominari diximus cum sit usus merè Astronomici, Astronomis ipsum relinquimus. *Cum Ptolomæo* etiam ipsi nonum Orbem *Ciceronis* rejicimus; nullam enim cognationē habet cum superioribus tum quoad materiam, tum quoad formam. Motum ab Ortu in occas. negabit quæst. 6. Evanescit ergo & *Sphæra àvca-σπος Ptolomæi*. Octo cum *Platone & Arist.* agnoscimus, ordine sibi invicem succedentes, quem *distichon* sequens ostendit:

*Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus aurea, tandem
Mercurius sequitur, Luna deinde subest.*

Hos omnes involvit Firmamentum. *Situm istum demonstrat partim παρὰ δαξίς*, quæ est arcus inter verum & apparentem corporis alicujus cœlestis positum interceptus: partim motus tarditas & velocitas. In quinque inferioribus *παρὰ δαξίς* locum invenit. *Deprehendunt enim Astronomi, Parallaxin Lunæ longe majorem esse, quam Mercurij, hujus majorem, Veneris, cui cedit Solis, In Marte ferè deficit.* Hinc concludere firmissime possunt: *Quo quid majorem habet παρὰ δαξίς, propius ei, ex quo videtur, puncto: Atqui Veneris stella majorem habet παρὰ δαξίς (siquidem de Solis situ omnium maximè hîc controversatur) quam Solis.* Ergo, *Jovis & Saturni situm monstrat motus, qui in Saturno tardior, ut pote, qui cursum suum Ægyptiacis 29. An. 62. d. 7. h. 36. m. In Jove longè velocior, utpote, qui circumferentiam suam 11. a. 315. d. 17. h. 14. m. emeritur.* Ex quo eorum cursu etiam de situ argumentamur: Cum enim omnium Planetarum motus proportionē convenient, circulus autem superior semper amplior inferiori, necessariò inde sequitur, illum ipsum Planetam qui motu tardiori ad idem punctum redit, majorem describere circulum. Id quod non solum Saturnus & Jupiter ostendunt, sed & reliquorum Planetarum orbis inferiores demonstrant.

IV. An

IV. *An materia stellarum eadem sit cum suorum Orbium?*

Varias & de hac quaestione apud Autores invenimus opiniones: *Alij* materiam stellarum esse igneam, eò quod plurimum lucis in inferiora effundant, & calore suo in inferiora agant. *Alij* terream illis materiam affinxerunt; *Nonnulli* ex aqua illas constare autumant. Nos materiam eandem astris cum sublunaribus existimamus corporibus. 1. Quia in corporibus simplicibus partes sunt eadem cum toto. 2. quia ab illis procedit calor & lumen, non quidem $\pi\alpha\sigma\eta\tau\iota\kappa\omega\varsigma$, sed $\epsilon\upsilon\epsilon\pi\eta\eta\tau\iota\kappa\omega\varsigma$: Aquo vero calor & lumen id cœlestis materiae, ut sit, necessum est, 2. de cœl. cap. 7. 3. Quia sic cœlum non esset unum nec una quinta Essentia, sed multa. In specie vero si quæ sit illa materia quis roget, cum *Clar. D. Rungio* ex *Comm. sup. Genes. cap. 1.* respondemus, esse lucem verbo Creatoris Omnipotentis compactiorem redditam. Probat hoc ipse locus in quo stellæ creatæ sunt, in Ipso scilicet Cœlo sunt creatæ (non vero extra Cœlum & post in illud transpositæ.) Ergo ex materiâ Cœli. Sic enim Creator. *Sir. 8. Luminaria in Expanso.*

V. *An intelligentiæ sint motrices Orbium Cœlestium?*

In affirmativam partem eunt cum Philosophi tum Scriptores Ecclesiastici. Ex illorum censu sunt *Coryphæus* *Peripat. Aristotel. 8. Physic. cap. 6. & 12. Metaph. 8.* *Plato 1. de legib. & recentium* plures. In horum subsellijs sedent *Dionys. Gregor. 4. lib. Diali. cap. 4. August. 3. de Trinitat. 4.* Nec alieni sunt ab hac opinione *D. Thomas & Bonaventura* alijque. In horum ut & nos descendamus opinionem, rationibus adducimur sequentibus. 1. Talis est. Si cœlestia corpora moventur, moventur aut à se ipsis, aut ab alio, externo motore. Non à seipsis: Nil enim à seipso movetur teste *Philosoph. 7. Physic.* Quid? quod Cœlum sit inanimatum: nullum autem inanimatum ex suâ vi & naturâ in suo loco se movere potest. Movebuntur ergo ab alio externo, quod

quod nil aliud quàm Intelligentiæ. Deinde motus perpetuus & uniformis, principio & sine carens non potest fieri nisi per Intelligentiam: Talis autem motus competit ex consensu omnium quot unquam fuere, Philosophorum, Cœlestibus corporibus. Movebitur ergo ab intelligentijs: Vide plura apud Cl. Præs. Exerc. Metaphys. 3. th. 1. Obijciunt nobis Adversarij: Ubi forma dans esse composito, eidem quoq; largitur motum: Cœlo forma dans composito essentiam, inest. Ergo. Sed respondemus ad Majorem illam simpliciter negando; ad Minorem verò cum Scalig. Exerc. 61. s. 1. Duplicem esse formam in Cœlo: altera est, quæ ei essentiam suam, altera, quæ motum ei conferat. Instant Motum Cœli futurum violentum, cum vi illud fiat secundum Aristot. 3. Ethic. 1. cujus causa extrinsecus adhibeatur ejusmodi. Respond. non sufficere Vim ab extrinsecus aliquo accedente illatam ad motum violentum excitandum; sed necessariò etiam requiritur, ut ipsam quoq; mobile, talem vim quæ in cœlo nulla est, habeat. Idem evincere volunt ex eo, quod Cœlum naturâ suâ non quiescat, id quod omne corpus naturale ab externâ causâ motû facit. Sed & hic idem respondemus, quod Scal. Exerc. 68. s. 1. Etenim quies perfectio corporis naturalis. Verùm, Cœlum perfectione non eget, quâ promoveat, ut sit hoc quod non est; non est ei data forma naturalis ad movendum ut perficiatur, sed forma voluntaria Intellectionis ad movendum ut perficiat. Perficit enim hæc nostratiã vide Scalig. l. all.

VI. An detur motus secundus ab Occasu in Ortum?

Pro affirmativâ hujus quæstionis tanquam pro aris & focis imprimis Mathematici pugnare consueverunt argumentis, tum à sensu testimonio, tum omnium Mathematicorû calculo, tum demum à summâ ad *Φαινόμενα* sua demonstranda, necessitate, quibus ipsis arietibus se assertionem hujus problematis defensuros esse certò sibi pollicentur. Quâ vero ratione demoliri hi ipsi debeant & possint, cum alijs satis eruditè docet Fabian. Hipp. in Probl. Physic. Nos ne actum agamus, quid vero consonum videatur ostendemus paucis: Orbes cœlestes proprio motu ab Occasu in Ortum

B

ferti

ferri negamus. I. quia Caelum ex naturalibus sit omnium simplicissimum, in quo contrarietati nullus locus relinquitur: quid autem magis contrarium? quam dicere; unam eandemq; Sphaeram simul ab Ortum in Occasum moveri, & ab Occasu in Ortum cieri. *Simplicissimum dicimus*, non ut illi omnem compositionem, quæ fit ex materia & formâ detrahamus: cadit enim sub sensum, 1. de Cael. t. 92. & 8. Met. 2. Ens item sit mobile 2. Phys. 1. quod quantitas, raritas &c. illi insint Mag. lib. 2. Phys. c. 2. thes. 11. quod sit corpus. Omne autem corpus præsupponit materiam. Materiam autem Corporum superiorum & inferiorum statuimus diversam, quæ scilicet est Ens actu, quod absque omni dubio erit ipse Orbis, quandoquidem is per seipsum movetur Vide I. M. II. Motus iste erit vel Naturalis vel violentus: Non naturalis, ut pote secundum quem corpus unum uno tantum motu cietur: Ergo erit violentus, quod absurdum. Accedit III. quod nullo modo hic simplicis & numero unius corporis in diversas plagas motus demonstrari possit. Sed: Nauta ab Occasu in Ortum navi cõtrario motu librata procedit. Musca in αὐτομάτων rotâ versus Occasum vergente versus Ortum tendit. Verum nullius hanc objectionem esse momenti vel illud evincit, quod longe alia sit ratio nautæ ad navim; muscæ ad rotam, quam Sphaerarum inferiorum ad Primum Mobile: illa gravia; hæ leves: illa absq; fundamento solido procedere non valent; hæ nulli innixæ corpori liberrimo motu circumvolvuntur: illa corpora realiter existunt; harum realitatem quest. 1. ex mente Arnisaï negavimus. Quid? quod simile hoc magis ipsius Planetæ motum contrarium evincat non vero Orbis, cui Planeta infixus hæret. Plura vide apud Hipp. l. 6. & Cl. I. M.

VII. An Corpora Cœlestia specie inter se distinguantur?

A partibus negantibus stare Messalam, Alexandrum, Averroem, Tandunum, Durandum referunt Connimbr. 2. de Cael. 5. q. 3. his fulci rationibus. 1. Quia omnes Sphære cœlestes eadem externa habent accidentia; quantitatem, pelluciditatem, raritatem, figuram. 2. quia omnibus idem motus. 3. Aristotelis auctoritas accedit, qui corpus aliud

aliud dandum esse præter quatuor Elementa, quod vocat quin-
tam Essentiam, jam si singula corpora cœlestia specie distinguen-
tur, certe non unum tantum, sed plura forent. *Contrarium ut nos
amplectamur* docent varij stellarum effectus, alios enim *Sirius*, alios
Arcturus, alios *Plejades* habent. Quid? quod summa ex sapientiâ
& bonitate diversa luminis varietate stellas donavit *Naturæ Au-
thor & Conservator* ad effectus varios in corporibus sublunaribus
producendos. II. *Quia singulæ Sphæræ Cœlestes ordine nature exi-
gunt loca diversa.* Ergo & formas distinctas. Partes enim mun-
di Elementaris, (quatenus Elementa etiam sub ipso comprehen-
duntur) quæ naturæ ordine diversa loca exigunt distinctas spe-
cie formas sortiuntur. *Contrarias quod attinet rationes, respondemus
ad I. Majorem ejus non esse universaliter veram:* sequeretur enim, etiam
eadem semina figuræ rotundæ esse ejusdem speciei, quod & ra-
tioni & experientiæ repugnat. *Ad II.* Hoc nos libenter largiri
adversarijs, omnes Sphæras circulari motu, qui ubique idem est
specie, circumduci, non tamen inde quod volunt ipsi, concludere
esse licitum, cum *Vbi specie distinctum pro termino habeant, & unum quodq;
Cœlum pro nature suæ dignitate proprium in mundo positum requirat.* Ex
Aristotelis loco quid velint concludere, non video; quandoqui-
dem Aristot. non tantum quinque dari corpora simplicia asse-
rar, sed hoc tantum velit, præter quatuor Elementa corpus aliud
statuendum esse specie ab ipsis Elementis distinctum, quod immortalita-
tis, omnisque vicissitudinis ac contrarietatis expers, quale est
Cœlum. Ex formarum autem discrepentiâ diversa esse
corpora, cum in materia conveniunt,
non licet asserere.

COELORUM CONDITORI GLORIA.

05 A 1343


ULB Halle
003 780 988

3



V. 17





DISCUSSIONUM PHYSICARUM
SPECIALIUM
Exercitatio III.
De
ORBIBUS COELESTIBUS
Quam
CHRISTO JUVANTE
Sub Præsidio
M. HIERONIMI VVEIXELBERGERI
VVellensis Austriaci, Amplissimæ Facultat.
Philosophicæ in Electorali VVitteb.
Academiâ Adjuncti,
Discutiendam proponit
CHRISTOPHORUS NEANDER
NEAPOL. SILESIUS.
Ad diem 22. Januar.
VVITTEBERGÆ,
Typis Iohannis Gormanni
ANNO M. DC. XVII.

